

am hanc ejus indolem quoque inuunt vitales, naturales & animales actiones læsæ, pulsus debilitas, convulsiones, sitis nulla, deliria, anxietates, urinæ sanorum similes, quæ omnia idem notant.

SIMILITUDO febrium ardentium malignitatem prodit, cum aliis in locis grassantur febres ejusmodi, eadem & hic loci orientur iisdem cum symptomatibus.

TEMPORA febrem ardentem distinguunt. Acutorum morborum principium breve est, illudque demonstrat invasio prima cum impetu facta, & symptomata mitiora; statum adesse & morbum auctum actiones in summò gradu læsæ, & symptomata graviora indicant, juxta *aphor. 30. libr. 2. πρὸς τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα: πρὸς δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότερα.* Circa initium & finem omnia imbecilliora; circa statum verò fortiora. Biliosi morbi in convenientibus naturis, æstivò præsertim tempore breve habent initium, citiusque statum attingunt.

CAPUT XXIII.

de signis diagnosticis partis adfectæ.

Multis ambagibus ut supersedeamus, ipsa febris ardentis essentia, ejusque signa tum pathognomonica, tum συνεδρεύοντα symptomata sufficienter declarant, COR adfectum esse.

INTEMPERIES per totum corpus intensè ad tactum calida, **EFFECTUS**que cordis seu actiones vitales læsæ, pulsus fortis, celer, vehemens, cor per se & principaliter inflammatum ostendunt.

FOMES hujus incendii non in ipsò reperitur corde, sed nonnunquam propè cor nascitur, nonnunquam ab aliis partibus illinc transmittitur. Aliquando fit in certâ parte, aliquando in totò focus latitat corpore.

TOTUM si suppeditat ansam causo, sitis omninò adest.
Cum